e-codices

plenitudo. Addit adhuc et exercitatus sum. Magna enim exercitatio est in contemplatione diuina, cum mens hominis superno lumine illustrata cogitare incipit qualiter dei sapientia cuncta disponat, quanta potentia creata contineat, qui manens simul omnia faciens, certis locis et temporibus mirabili ordine dispensat. Cum haec itaque cogitans exercetur, necesse est ut spiritus hominis, id est intellectus eius deficiat et in consideratione sua uicta succumbat. Anticipauerunt uigilias oculi mei. Tempus illud indicat quo sancti homines ad reddendas deo laudes uigilare solent. Iuxta quod alibi dicit: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Dicit ergo oculos suos anticipasse, id est preuenisse uigilias mediae noctis, ut deuotionis suae studium in diuino ostendat seruitio. Turbatus sum et non sum locutus. Cum inquit recogitarem et animi mei secreta rimarer, turbatus sum recordatione peccatorum et pro dolore percruciabar. Cum uero addit non sum locutus, aut tempus designat profundae noctis quo solus non habebat solatium humani colloquii, aut certe nimium se testatur fuisse conturbatum, adeo ut magnitudo tristitiae illum loqui non sineret. Cogitaui dies antiquos et annos aeternos in mente habui. Exponit quare turbatum se dixerit, uidelicet quia cogitauit dies antiquos, illos uidelicet quibus a peccato adam usque ad liberatorem Christum genus humanum peccato tenebatur obnoxium. Siue contra dies antiquos ponit annos aeternos, id est aeternitatem futuri saeculi, comparans breuitatem huius temporis ad perpetuitatem uitae indeficientis, tamquam stupens cur homines hanc transitoriam uitam diligant et illam quae permanet neglegant. Meditatur cum corde suo nocte, quia in angustia tribulationis de salute sua aliquid cum ratione pertractat. Et exercitabar, quasi in spiritali animae palaestra, id est luctatione fatigabar. Et scobebam spiritum meum. Scobere dicimus effodere et scrutari. Idem est et scrobere. Unde et scrobes fossas dicimus. Alia translatio dicit: uentilabam spiritum meum, id est huc et illuc instar uenti celeri cogitatione mutabam. Spiritum autem uirtutem animae dicit, qua intentio eius regitur et mouetur. Numquid in aeternum proiciet deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc. Considerans propheta diutinam generis humani damnationem ait: Numquid in aeternum proiciet humanum genus et non aduentu suo in miseratione sua succurret? Et hoc est quod alius propheta dicit: Cum iratus fueris misericordiae recordaberis. Aut non apponet ut complacitior, id est placatior atque magis propitius. Quod enim dicit non, affirmantis est non negantis, pendens ex superiori interrogatione. Numquid non apponet? utique apponet, id est addet multas miserationes suas, ut non in aeternum proiciat, sed adhuc placatus subueniat. Aut subaudis: Numquid in finem misericordiam suam abscidet. A generatione in generationem. Misericordia dei fuit qua pro nostra salute natus est ex uirgine. Hanc non abscidit, id est non frustrauit, sed sicut per prophetas promiserat adimpleuit. Finem hic plenitudinem temporis illius dicit, in quo Christi incarnatio completa est. Quod autem subdidit a generatione in generationem, omne saeculi tempus indicat quod succedentibus sibi generationibus agitur. Siue a generatione populi sub lege uiuentis in generationem populi sub gratia euangelii conuersantis. Aut subaudis: Numquid obliuiscetur misereri deus? Idem sensus est per plures uersus aliis atque aliis uerbis multipliciter absolutus. Non obliuiscetur misereri, sed subueniet per aduentum suum. Aut continebit in ira sua misericordias suas. Pulcherrime dictum. In ira enim sua quae iuste humano generi superducta erat non continuit. Hoc est non repressit non clausit misericordiam suam. Uicit illum pietas sua, ut non merentibus subueniret. Et dixi nunc coepi. Subauditur sapere, et ad lumen uenire modo introire coepi aulam gaudiorum, ubi nullus timeatur inimicus. Haec est mutatio dexterae excelsi. Dextera excelsi dei patris filius est, per quem mutamur ut de peccatoribus iustificati de seruis mereamur appellari filii. In hebreo habetur: inbecillitas mea. Haec est mutatio dexterae excelsi, et est sensus: Inbecillitas quae mihi ex peccato contigit fecit ut filius dei carnem indueret, quatinus per eius mutationem et humilitatem nos repararemur ad uitam. Memor fui operum domini. Beneficia domini et utilem mutationem in se factam dicit in sua memoria permanere, ut pro hoc potioribus dei muneribus dignus existeret, quia de iam perceptis gratias agere studet. Quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, quae humano generi misericorditer indulsisti, creando hominem ad imaginem et similitudinem tuam, eundemque post lapsum tua passione redimendo. Et meditabor in omnibus operibus tuis. Constituam inquit ante aculos tuos mentis meae mundum quasi spectaculum. Considerabo omnia quae deus fecit, et in his gratias artifice. Sed quia non sufficit scrutari opera dei nisi et pro hoc bonorum operum fructus agitur, sequitur: Et in adinuentionibus tuis exercebor, id est in preceptis humili deuotione uersabor. Adinuentiones dei sunt mandata quae ipse adinuenit et hominibus tradidit. Unde per prophetam dicitur: Hic est deus noster, hic adinuenit omnem uiam iustitiae, et dedit eam iacob puero suo et israel dilecto suo. Deus in sancto uia tua. Sanctus Christus est, qui in alio psalmo dicit: Custodi animam meam quoniam sanctus sum. Ipse quoque est uia qui de se loquitur: Ego sum uia, ueritas et uita. Uia ergo patris est in filio, quia ipse dat fidem hominibus per quam deus pater cognoscitur, sicque illum cognoscendo uenimus ad ipsum. Ipse quoque per filium uenit ad nos gratiam suam nobis inspirando, ut illum credere et diligere possimus. Quis deus magnus sicut deus noster? Hic quis pro nullo ponitur. Nam et si sunt qui dicuntur dii, deus nobis tamen unus est uerus, et omnipotens deus, creans omnia, et quaecumque uult faciens in caelo

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 164 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/164)